Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

M ante O

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

lib. 14. Latinè procum ſignificat. Nam μνηςεύω, idem eſt quod puellæ nuptias ambio.

Mneſtheus, μνεσθεύς, Proprium nomen viri Trojani, unius ex comitibus Aeneæ, qui ab Aſſaraco rege originē traxit, ut autor eſt Virgil. 12. Aeneid. Et genus Aſſaraci Mneſtheus. Nonnunquam verò cauſa metri additur e poſt m, ut fiat dictio triſyllaba, Meneſtheus. Virg. 10. Aeneid. Nec Lycio genitore minor, nec fratre Meneſtheo. Nā aliter non poteſt conſiſtere verſus, ut annotavit Servius.

Mnevis, μνεῦις Suidæ, Bos Soli ſacer, quem Heliopolitæ pro deo colebant, in ſepto cum nutrientes. Autor Strabo lib. 17.

M ante O.

Moab, [מואב moab, μωαβ.] Arabiæ civitas, quæ & Areopolis nominatur. Inde Moabitæ.

Moba, μῶβα, pars Arabiæ, pro Moaba. Unde Mobeni & Mobites, Steph. Vide MOAB.

Mocarſus, μόκαρσος, proparoxytonum, Parva regio Thraciæ. Gentile μοκαρσεύς, oxytonum. Steph.

Mocata, μώκατα, Urbs Bithyniæ. Gentile Mocatenus. Steph.

Mocle, μόκλη, Vicus Phrygiæ: incolæ Mocleni. Steph.

Modona. Vide METHONE.

Moemagus, Ptolem. Galliæ Urbs.

Moeniana. Vide MENIANA.

Moenus, ſive Moenis, [Vulgò Meyn & Mens. Ger. Der Meyn.] Fluvius eſt Germaniæ, per agrum Franconienſem in Rhenum defluens: de quo Plin. lib. 9. cap. 15. Pomp. lib. 3. Moenim vocat. In Rhenum (inquit) influunt Moenis, & Lupia.

Moeris, μοιρὶς, Inſula eſt in mari Lycio: de qua Plin. lib. 5. cap. 31. ❡ Fuit præterea hoc nomine Aegyptiorū rex, cujus opus eſt lacus inter Arſinoitē & Memphitem Nomon manu factus, circuitu CCCCL. M. paſſ. qui ab illo Moeridis lacus appellatur. De hoc Plinius libro 5. capite 9. [Ger. Ein König der Egyptern / dem etlich zuſchreiben daß er den groſſen See Moeris genannt / welcher einem Meer gleich iſt / gemacht habe / welches doch nicht gleublich iſt.]

Moeſia, [μοισία. Vulgò Servia, Service vel Boſna. Ger. Sirfe oder Boſſen.] Provincia eſt Europæ juxta Danubium, quæ à Pannonia ad Pontum uſq; protenditur. In ea ſunt Dardani, Moeſi, & Triballi, Pontoq; contermini Scythæ.

Mogam, primùm dicebatur quæ poſtea Cappadocia, nunc autē Cæſarea à Cæſare, ut refert Ioſephus: ut ſuprà dictum eſt in Cæſarea.

Moguntia. [μογοντία. Vulgò Magontia. A' Gallis vocatur Mayence. Ger. Mentz.] Oppidum Tranſalpinæ Galliæ ad Rhenum fluvium.

Molo, μόλων, Orator Alabādenſis, qui Rhodi claruit Ciceronis ætate: cujus meminit Plutarch. in vita Cic. & Strabo lib. 14.

Molochath, Africæ fluvius, Mauritaniam Cæſarienſem à Maſſæſylorum regione dirimens. Plinio & Saluſtio Malucha dicitur.

Molorchus, μόλορχος, Dictus fuit ſeniculus Arcadicus, qui ad expugnationem leonis, Nemeæi proficiſcentem Herculem ſuſcepit comiter hoſpitio. Cujus beneficii nomine Hercules illi ſacra ſolennia inſtituit, quæ Molorchæa dicebantur. Quin & leo ipſe à nomine ejus Molorcheus, μολόρχειος, à poëtis dicitur. De hoc Stat. lib. 4. & Servius in tertium librum Georg.

Moloſſia, [μολοσσία. Ger. Ein Landtſchafft Epiri.] Regio, pars Epiri à Moloſſo Pyrrhi & Andromaches filio nominata: cujus incolę etiam appellantur Moloſſi, μολοσσοί. Scribit Theopompus fuiſſe XIIII. Epirotarum gentes, è quibus celeberrimi fuerūt Chaones, & Moloſſi. In hac regione naſcebantur egregii canes, qui & ipſi Moloſſi dicti ſunt. Virg. 3. Georg. Nec tibi cura canum fuerit poſtrema, ſed unà Velocis Spartæ catulos, acremq; Moloſſum Paſce ſero pingui. ❡ Legitur & Moloſſus, a, um, adjectivum Ovid. 1. Metam.

Nec contentus eo, miſſi de gente Moloſſa

Obſidis unius jugulum mucrone reſolvit. Moloſſi, μολοττικοὶ κύνες, ex Moloſſia Epiri regione mittebātur: unde & nomen acceperunt. Poëtæ fabulantur canes hoſce originem traxiſſe à cane æneo, à Vulcano fabricato, quem ille Iovi, Iupiter Europæ, Europa Procridi. Procris Cephalo dono dedit. Vide Iul. Pollucem lib. 5. cap. 5.

Moloſſus, Vide in APPELL.

Molus, μῶλος, uxorem habuit Siden Mentari filiam, & nomen dedit inſulæ. Steph.

Molucha, Vide MULUCHA.

Molus, Homero vir fuit Cretenſis, & Merionis, aurigæ Idomenei pater.

Molybdana, μολυβδάνα, Urbs Maſtienorum. Autor Steph.

Molycria, μολυκρία, Oppidum eſt Aetoliæ, nō procul ab Antirrhio promontorio, quod Rheum Molycricum appellavit Thucydid. lib. 2.

Molyndea, pen. prod. μολυνδεία Stephano, Lyciæ oppidum.

Molys, μῶλυς, Libyæ oppidum, à quo fiunt gentilia Molytes, & Molyates. Stephan.

Momemphis, μωμεμφὶς, Aegypti oppidum, à quo Momemphitica præfectura apud Strabonem lib. 17.

Momus, mi, μῶμος, Deus Nocte matre (inquit Heſiodus) ac Somno patre progenitus. Huic adeò mos eſt, ipſum quidem nihil operis edere, ſed aliorum deorum opera curioſis oculis contemplari, & ſiquid eſt omiſſum, aut perperā factū, id ſumma cum libertate carpere. [Ger. Ein Schelter dem nichts gefalt.] Nam μῶμος Græcè reprehenſionem ſonat. Vide de eo fabulā apud Lucianum in dialogo de hæreſibus.

Mona, [μόνα. Ger. Ein Inſel zwiſch: Engellandt und Irlandt.] Inſula eſt inter Britanniā & Hyberniā ſita, ut docet Plin. li. 4. cap. 16. Corn. Tacit. lib. 14. Igitur Monam incolis validam, & receptaculum perfugarum, aggredi parat, naveſq; fabricatur plano alveo adverſus breve littus, & incertum. Idem in Iuli Agricolæ Vita: Monam inſulam, cujus poſſeſſione revocatū Paulinum, rebellione totius Britanniæ ſuprà memoravi, redigere in poteſtatem animo intendit.

Monabæ, μοναβαὶ, Iſauriæ oppidum: à quo fit gentile Monabates. Steph.

Monacris, Arcadiæ mons, quaſi ſolus vertex ſive ſola ſummitas, ut notat Tortelius.

Monacum, Civitas Bavariæ, Vulgò München / vide Cambodunum Eſt & alia Hercyniæ ſylvæ. [Ger. Waldmünchen.]

Monaeda, Ptolemæo lib. 2. cap. 2. inſula juxta Orientalē plagam Hyberniæ: alio nomine Monarina dicta.

Monapia, μοναπία, Inſula eſt inter Hyberniam, & Britanniam, cujus meminit Plin. li. 4. cap. 16. In emendatioribus exemplaribus Menapia non Monapia legitur.

Monaſterium, Vveſtphaliæ urbs. [Ger. Münſter in Weſtphalen.]

Moneſio, Aere fabricatus à Vulcano canis Cephali, &c. Pollux quinto.

Moneta, Dicta eſt Iuno à monendo. Quū enim, ut inquit Cic. lib. 1. de Divin. terræmotus factus eſſet, ut ſue plena procuratio fieret, vox ab æde Iunonis ex arce extitit, quocirca Iuno Moneta cognominata eſt. Lucanus li. 2: Numina miſcebit caſtrenſis flamma Moneta.

Monetium. Oppidum Iapidum prope Iſtriam. Strabo lib. 7.

Monodus, pen. corr. μονόδους, Pruſiæ, Bithyniæ regis filius, qui dentium loco os unum continuū habuit in ſuperna oris parte, ut tradit Plin. lib. 7. cap. 16. Unde etiā Monodus dictus eſt, quaſi μόνον ὀδόντα ἔχων, eò quòd quodāmodo unicum, cumq; perpetuum haberet dentem.

Monoecus, cū œ diphthongo. [μόνοικος. Ger. Ein Schiffſtende oder Meerhaffen in Liguria / heiſſt jetzt Porta di Monaco den Italianern.] Portus & ſtatio quædā Liguriæ, Ab Albio Ingauno oppido diſtans ſtadiis quadringentis & octoginta. A' Monoeci portu uſq; in Hetruriam univerſam littus cōtinuum omnino ſine portu eſt, exceptis quibuſdā parvis ſtationibus ad jactandas anchoras, neq; is ipſe eſt multarū, aut magnarum capax navium. Arcem habet munitiſſimā non procul à Nicea, quam hodie vocāt Itali Monaco. Lucanus lib. 4: ſolus ſua littora turbat Circius, & fida prohibet ſtatione Monoeci. Nominis rat onem ad Herculem referunt, qui ibi ædem habebat, in qua ſolus colebatur.

Monogiſſa, μονογίσσα (locus mutilus eſt Stephano.) Hinc Diana Monogiſſana, cui templū Dædalus extruxit. Megiſſa enim lingua Carum lapidem ſonat. Nunc verò cruſtaceos & molles lapides giſſa nominamus. Steph.

Monoſceli, [μονοσκελεῖς. Ger. Völcker in India ſo nur ein Schenckel mit einē breiten Fuß habē.] Homines Indici ſingulis cruribus: σκέλος enim crus dicitur. Hi & Sciopodes vocantur, quòd in majori æſtu humi jacentes σκιᾷ ποδὸς: hoc eſt, umbra pedis ſe protegant. Vide Plin. lib. 7. cap. 2.

Mons Ferratus. [Ger. Montferrāt ein Landtſchafft Italiæ.] regio Italiæ cujus fines ſunt, hinc Padus, inde Apenninus & Tartarus amnis ex ſuperiore parte, montes proximi Moncaverio: ubi Pedemontium incipit.

Mons ſanctus, ἱερὸν ἅγιον, Vide PSENTRIS.

Monſpeſſulum, Galliæ Narbonenſis urbs. [Ger. Montpelier in Langendock.]

Mons Regius, Urbs celebris Pruſciæ. [Germ. Königſperg in Preuſſen.]

Mons S. Annæ, in Myſnia. [Ger. Sant Annen Berg.]

Monycha, chæ, cum y, & ch aſpiratio, μονύχα, Nomē eſt matris divi Auguſtini, cujus vitæ ſanctimoniā & ipſe divus Auguſtinus, & Maphæus Vegius Laudenſis vates literis mandavēre.

Monychus, pen. corr. μόνυχος, unus fuit Centaurorum, de quo Iuven. Satyr. 1: quantas jaculetur Monychus ornos. ❡ Ductum autem eſt hoc nomen à Græco μώνυξ, quod perinde eſt, ac ſi Latinè ſolungulum dicas. Hoc autem proprium equorum eſt epitheton, qui unicam & ſolidam habent ungulam. Quò

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

lam. Quò fit, ut & Centauris tribuatur, quibus Poëtarũ fabulæ equinos tribuerunt pedes.

Mŏnȳmă, pen. corr. μονίμα, Mithridatis uxor, quæ in deſperatione rerum profligatarum, detractum è capite diadema collo circũligaſſe traditur, ſeſeq; ex eo ſuſpendiſſe: & quum corporis pondere laqueus ille diruptus eſſet, dixiſſe: Execrandũ diadema, neq; in tam triſti miniſterio mihi profuiſti, moxq; quum ſuper illud humi abjectum inſputaſſet, evnucho regio jugulandam ſeſe obtuliſſe.

Mŏnȳmus. [μόνιμος. Ger. Ein Diener eines Wächſelherrens zu Corintho.] Corinthii cujuſdam trapezitæ ſervus: qui quum magno philoſophiæ amore teneretur, Diogeniq; in primis operam dare cuperet, ſimulata inſania monetam heri ſpargere cœpit, eoq; modo ab illo dimiſſus, ad philoſophiæ ſtudiũ ſe convertit, & Diogeni ſe totum tradidit. Vide Laertium.

Mŏpſium, μόψιον, Agri Pelaſgici oppidum in Theſſalia, apud Strab. lib. 9.

Mŏpſŏs, μόψος, Liberum Ciliciæ oppidum, ad Pyramum fluvium ſitum, teſte Plin. lib. 5. cap. 27. Strabo lib. 14. μόψου ἑστίαν appellat.

Mopſŏpĭă, μοψοπία, Attica regio, à Mopſo rege ſic dicta, ut autor eſt Strab. lib. 9.

Mŏpſus, μόψος, Nomen proprium viri vatis, qui (ut Pomponius Mela refert) in finibus Pamphyliæ Phaſelim urbem condidit. ¶ Fuit & alter Mopſus Lapitha: id eſt, Theſſalus (ut Strabo lib. 9.) qui fuit Ampyci & Chloridis filiæ Orchomeni filius. ¶ Alius fuit cum quo certavit Calchas de peritia divinandi, Apollinis filius.

Mordiæum, μορδιαῖον, Civitas Piſidiæ, Apollonia poſtea dicta, Stephan.

Morgentium, μοργέντιον, Vrbs Italiæ, ἀπὸ τοῦ μοργήτου, vocatur etiam Morgentina. Gentile, Morgentinus, & Morgites. Steph.

Mŏrgus, Fluvius eſt ex Alpibus defluens, unus eorum, qui à Pado excipiuntur: de quo Plin. lib. 3 cap. 16.

Morgyna, μόργυνα, Vrbs Siculorum. Gentile Morgynæus. Stephan.

Morici, μορικοί, Populi Indiæ, ligneas domos habitantes, Stephan.

Mŏrĭni, pen. corr. [μορινοί. Ger. Die Bolanger.] Populi ſunt inter Belgas ad Oceanum Britannicum Caletibus, & Nerviis vicini, quorum oppidum mediterraneũ, Ptolemæo teſte, fuit Tervanna, τερουάννα, etiam hodie nomẽ retinens. Hi à Virgilio Extremi hominũ appellantur, quòd (ut diximus) Oceano ſint proximi, breviſſimusq; ab eis, vel ipſo Cæſare teſte, in Britanniam, ſit trajectus.

Moriſeni, Thraciæ populi, circa Ponti littora incolentes: quorum meminit Plin. lib. 4. cap. 11.

Morpheus. [μορφεύς. Ger. Ein Diener des Schlaafs/ſo ſich in vielerley geſtalten verendern kan.] Somni miniſter eſt, qui (ut in fabulis eſt) juſſu domini quoſcũq; vultus hominum fingit, verba ipſa, mores item & geſtus imitans. Ovid. lib. 11. Metam. Excitat artificem, ſimulatoremq; figuræ Morphea, &c.

Mortam, Vnam eſſe ex Parcis dicunt, quas veteres Latini tres eſſe putaverunt, eaſque nativitati & morti præſidere. Earum nomina fuerunt Nona, Decima, & Morta: quo commento illud videntur voluiſſe ſignificare, tempeſtivum partus tempus eſſe menſem nonum & decimum: qui verò ante hoc tempus in lucem prodeunt, aut mortuos naſci, aut natos ſtatim mori. Sipontinus ex Martiano.

Mortuum Mare, Straboni dicitur: quia nihil vivum gignit. [ἀσφαλτίτης. Ger. Das Todtmeer/iſt ein ſtinckender See in Syria.] Lacus eſt in Pentapoli Syriæ, qui nihil præter bitumen gignit, nihil in eo grave ſubmergitur. Vnde & Aſphaltites vocatur, ſive ab eo quòd Græci bitumen ἄσφαλτον appellant, ſive ἀπὸ τῆς ἀσφαλείας: hoc eſt, à ſecuritate, eò quòd corpora viva ei innatent, tutaq; ſint à ſubmerſione.

Mŏryllĭ, μορύλλιοι, Macedoniæ populi in occaſum vergentes, juxta Alanteuſes, & Lynceſtas. Plin. lib. 4. cap. 10.

Mŏrȳchus. μόρυχος, Cognomen Bacchi apud Siculos, cujus faciem vindemiæ tempore muſto & recentibus ficis oblinere conſueverunt. Vide Eraſmum in proverbio: Morycho ſtultior.

Mŏſă, [μόσα. Ger. Die Maaß.] Fluvius inſignis Galliæ Belgicæ, ex Vogeſo monte, nõ procul à Lingonum finibus profluens, & per Eburonum, Menapiorum ac Sicambrorum agrum labens, tandemq; in finibus Batavorũ accepto Rheno in Oceanum ſe exonerans. ¶ Meminerunt hujus fluvii Plinius libro 4. capite 14. & 15. Tacit. libro 2. & 20. Cæſar de bello Gallico.

Moſchĭ, μόσχοι, Populi ſunt Aſiæ, Albanis, & Iberibus finitimi, à quibus pars Tauri montis in Septentrionem declinans, Moſchii nomen accepit. Vide Plin. lib 5 cap. 27. & li. 6. cap. 10. Lucan. lib. 3: ſævisq; affinis Sarmata Moſchis.

Mŏſchŏs, μόσχος, Grãmaticus, & poëta Syracuſanus, Ariſtarchi familiaris, qui ſecundus à Theocrito ſcripſit carmẽ Bucolicum. Suidas.

Mōſēs, ſis, & Moſi. [משה moſcheh. μωσῆς, μωϋσῆς.] Sicut & Achilles, lis, li, nomen inclyti Iudæorum ducis, qui Iſraëlitas ex Aegypto, & Pharaonis tyrannide eduxit. Iuven. Satyr. 14: Tradidit arcano quodcunq; volumine Moſes. Arator: non hæc jejunia Moſes Condidit. Quidam Moyſes efferũt per tres ſyllabas, y, litera interpoſita, & prima ſyllaba contra artem correpta. Sedulius: Quid quòd & Heliam, & clarum videre Moyſem. Scribit Ioſephus ex eventu rerum nomẽ ei impoſitũ fuiſſe, eò quòd à Pharaonis filia de flumine ſit ſervatus.

Mŏſȳnæci, μοσυνοίκοι, Populi Aſiæ verſus Septentrionem, qui (ut Pomponius lib. 1. refert) turres ligneas ſubeunt, notis corpus omne perſignant, in propatulo veſcuntur, promiſcuè cõcumbunt, & palam reges deligũt, vinculisq; arctiſſima cuſtodia tenent. Dicti autem μοσυνοίκοι, quaſi turricolæ, à turribus, quibus domorum vice utuntur. Hos Plin. lib. 6. cap. 4. vocat Moſymos: quanvis in omnibus ferè exemplarib. Moſſymos legamus geminato ſſ.

Mŏſȳlōn, μόσυλον, Promontorium Aethiopiæ, emporium habens ejuſdem nominis. Stephanus.

Mŏthō, ûs, μοθώ, Arabum vicus, in quo Antigonus Macedo à Rabilo rege fuit interfectus: quæ etiam cædes vico nomen fecit: nam Motho Arabum lingua mortis locum ſignificat. Stephan.

Mŏtĕni, μοτηνοί, Parva regio Iberiæ, colonia à Romanis deducta. Phlegon Mutienum, μουτιηνόν, vocat. Gentile Motenus. Stephan.

Mŏtȳē es, μοτύη, Siciliæ oppidum: ita dictum à Motye quadam muliere, quæ Herculi eos indicavit, qui boves ejus abegerant. Hæc Steph. ex ſententia Hecatæi.

M ante V.

Mūgĭus, Cognomẽ Romani cujuſdam, à frequenti murmuratione: à quo Mugiona porta, cui ipſe aliquando præfuit, nominata eſt. Vide dictionem ſubſequentem.

Mugonia porta, (ut apud Sipontinum legitur) vel Mugiona, (ut potius legendum arbitror) urbis Romæ porta fuit: ita dicta à Mugitu, quòd per eam venale pecus intraret. Hæc & Trigonia appellata eſt: hoc eſt, trium angulorum. Feſtus, Mugionam appellatam putat, non à mugitu, ſed à Mugio quodam, qui huic portæ aliquando præfuiſſe creditur.

Mulcĭbĕr, pen. corr. Mulciberis, & per ſyncopen Mulcibris. Eſt enim tertii ordinis, ratiùs ſecundi. [ἥφαιστος. Ger. Der hinckend Vulcanus/ ein Gott des Fewers.] Eſt autẽ Mulciber Vulcanus, ita dictus à mulcẽdo: id eſt, molliendo ferro. Mulcere enim mollire, ſive lenire eſt, quòd ignis omnia mulceat: id eſt, molliat, vincat, ac domet. Ovid. 2. de Arte: Mulciberis capti Marsq; Venusq; dolis. Apud Cic. lib. 2. Tuſc. legitur in patrio caſu, Mulcibri ſecundæ declinationis, & trium ſyllabarum: Iovisq; numen Mulcibri adſcivit manus. Donatus putat Vulcanum Mulciberem dictum à mutilando, quòd claudus à poëtis fingatur, & mutilatus. Fuit enim Mulciber Iovis ex Iunone filius, quem quũ parentes infœliciſſima forma eſſe vidiſſent, ex cœlo in Lemnum inſulam præcipitarũt: ex qua ruina interno pede fertur claudicationem contraxiſſe.

Mulūchă, [Ger. Ein Fluß in Mauritania.] Fluvius Mauritaniæ, Maſſæſylorum fines à Cæſarienſi Mauritania diſtinguens. De quo Strabo lib. 17: Poſt Mauritaniam (inquit) eſt Maſſæſylorũ regio, à Molachath flumine (ita Mulucham nominat) initium ſumens, &c. Vbi indicat, trans flumen in ortum Maſſæſylos eſſe, ſicut Plin. Intelligendum ergo Mulucham regnorum terminum fuiſſe, Bocchi quidem Orientalem, Iugurthæ verò occiduum, diverſa ratione: quemadmodum aliquando Rhenus Romani imperii ab ortu, & ſeptẽtrione terminus fuit: rurſum verò Germanorũ ab Occaſu, & Meridie limes: ut quod mihi in ortum proſpicienti dextrum eſt, id tibi in occaſum verſo ſiniſtrum ſit. Sic Rubiconem veteris Italiæ olim, & Togatæ Galliæ terminum fuiſſe intelligimus. Ita in Iugurtha Saluſtius: Haud longè (inquit) à flumine Mulucha, quod Iugurthæ Bocchiq; regnum disjungebat. Et alibi apud eundem, Bocchus inquit: Ego flumen Mulucham, quod inter me & Micypſam fuit, non egrediar, neq; id Iugurtham intrare ſinam. Hactenus Saluſtius. Sunt qui hoc nomẽ neutro genere efferendum putent (in quibus eſt & Caper inſignis Grãmaticus) unde apud Saluſtium loco jam citato, Mulucha legendum putant, non Mulucham: quemadmodum etiam in exemplaribus quibuſdam vetuſtiſſimis ſcriptum offendimus.

Mūmaſtĭs, μουμαστὶς, Cariæ oppidum: cujus incolæ dicuntur Mumaſtitæ.

Mummius, Prænomine Lucius, in primis Romæ & nobilitate & gloria rerum geſtarum clarus, qui Corinthum bello captã diruit, Italiamq; vaſis Corinthiis, æneisq; ſignis implevit. Autor Plin. lib. 34. cap. 3. & 7.

Mundă, Oppidum eſt Hiſpaniæ Bæticæ multis cladibus & funeribus